



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

## Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

### Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

### Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

NY

# KIRKEHISTORISKE SAMLINGER

UDGIVNE AF

SELSKABET FOR DANMARKS KIRKEHISTORIE

VED

**HOLGER FR. RØRDAM.**

DR. PHIL., PRÆST.

---

FEMTE BIND.

---

KJØBENHAVN.

I KOMMISSION HOS G. E. C. GAD.

THIELES BOGTRYKKERI.

1869—71.

# Utrykte Pavebreve angaaende danske Kirkeforhold

Ved Dr. L. N. Helvæg.

Tredie Samling.

177.

**Innocents VI.**

29 Mai 1358.

En Klerk af Roskilde Stift beder om at erholde Provstiet ved Frue Kirke i Stettin.

Supplicat S. V. humilis et deuotus vester Kneborch, clericus Roskildensis diocesis, quatenus sibi gratiam specialem facientes de prepositura ecclesie beate Marie virginis in Stetin, Caminensis diocesis, vacante per liberam dimissionem Philippi de Reborch, cui eadem sanctitas nuper de Archidiaconatu Dyminensi, dicte Caminensis diocesis, prouidit, eidem Johanni misericorditer dignemini prouidere cum acceptatione, inhibitione, decreto et clausula anteferri, et alijs non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus. Fiat G. Et sine alia lectione. Fiat G.

Datum apud Villamnouam Auinion. iiii<sup>to</sup> kal. Junij anno sexto.

178.

**Innocents VI.**

18 Mai 1360.

Tvende Breve angaaende Lunds Ærkesæde. I det første beskikker Paven Johannes Gilaberti og Henrik Biscop til Administratorer for Lunde Stift, som Ærkebiskop Jacob havde forladt betyngt af Gjæld. Af det andet er der kun meddelt et Udtog paa Dansk (min Kirkehist. II, S. 147).

Innocencius Episcopus etc. Dilectis filijs Johanni Gilaberti decano Tarbatensis, apostolice sedis nuncio, et Hen-

rico Biscop, canonico Lubicensis ecclesiarum, nostro et ejusdem sedis capellano, administratoribus ecclesie Lundensis, salutem etc. Regimini universalis ecclesie quamquam immeriti disponente domino presidentes, assidua diligencia propulsamur, ut ecclesiarum omnium obviamus dispendijs, et utilitatibus, quantum nobis ex alto permittitur, consulamus. Cum itaque venerabilis frater noster Jacobus Archiepiscopus Lundensis se ab ecclesia sua Lundensi plerumque absentans, eandem ecclesiam permittat mole debitorum nimium pregruari, ex quibus et aliis causis administracionem et regimen ipsius utiliter gerere et exercere omiserit et omittat, ipsaque ecclesia propterea magna dampna sustinuerit et sustinere timeatur verisimiliter in futurum, nisi prouideatur celeriter de remedio oportuno, Nos volentes, prout tenemur, iuxta pastorale officium super hiis debite providere, discrecioni vestre, de qua in hiis gerimus fiduciam in domino specialem, curam, regimen et administracionem dicte ecclesie Lundensis in spiritualibus et temporalibus, donec a nobis aliud receperitis in mandatis, committimus per presentes, alienacione bonorum immobilium et mobilium, nisi sint illa que servando servari non possunt, vobis et vestrum cuilibet penitus interdicta. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios curam, regimen et administracionem predictae Lundensis ecclesie devote suscipientes, illam feliciter et prudenter gerere et exercere curetis, contradictores cujuscunque status, gradus, ordinis vel condicionis existant, eciam si pontificali vel qualibet alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi seu eorum nominibus vel

ordinibus mencionem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XV kal. Junij anno octavo.

19 Mai 1360.

Til **Henricus Biscop**, canonicus Lubicensis, apostolice sedis capellanus et nuntius, at han for Curien skal indstevne Erkebiskop **Jacob** i Lund, fordi han paa selve Lunds Kirkegaard og inden Kirkens Fredhelligt havde med væbnet Haand og Vold ladet paagribe Præpositus ved Kirken samt pavelig Nuntius, **Nicolaus »Asolonis«**, og holdt ham endnu fangen. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIV kal. Junij pontificatus anno 8<sup>vo</sup>.

S. D. Til Prælater i Tydskland og Norden, om ved Kirkerne at publicere ovennævnte »Processus«.

179.

**Innoents VI.**

25 Sept. 1361.

Nikolaus Petersen, kaldet Brun, Præst i Slesvig Stift, havde af Biskop Nikolaus faaet Provstiet i Barvith Syssel, som var blevet ledigt ved Formandens Forfremmelse til Kantoratet i Slesvig Domkapitel, og begjærer derpaa pavelig Stadfæstelse.

Item significat S. V. deuotus vester **Nicolaus Petri dictus Brwn**, presbiter Sleswicensis diocesis, quod cum olim **Wetzelus de Bogholth** presbiter, prepositus de Barughsysel, in ecclesia Sleswicensi cantoriam, ad quam per capitulum Slesvicense concorditer electus per sedem apostolicam in Sleswicensi fuerit assecutus, **Nicolaus episcopus Sleswicensis dicto Nicolao Petri dictam preposituram curatam de Barughsysel**, per adeptionem dicte cantorie sedi apostolice sic vacantem, contulit et prouidit de eadem. Quare dignetur S. V. collationem seu prouisionem sibi de dicta prepositura per ordinarium taliter factam ex speciali gratia misericorditer confirmare. Cuius scilicet prepositure fructus etc. valorem xvi. florenoum auri annuatim non excedunt. Non obstante quod dictus **Nicolaus Petri** in eadem ecclesia Sleswicensi sit prebendatus canonicus, cum alijs non obstantibus et clausulis oportunis.

Sanctissime pater, dignemini omnes predictas suppli-

cationes non cancellatas signare et, prout petitur, mandare expediri, nisi fuerit alteri jus quesitum. Fiat G. Et sine lectione. Fiat G.

Datum Avinionae vii kal. Octobr. anno nono.

180.

### Innocentis VI.

23 Oct. 1861.

Om Beskikkelse af forskjellige Præster. Peter Simonsen af Lunds Stift havde paa vanlig Maade faaet Nikolaj Kirke i Lund og beder Paven om at stadfæste hans Beskikkelse, eller ogsaa at beskikke ham paany. — Niels Jakobsen (jfr. Nr. 175) havde faaet Provstiet ved Lunds Domkirke, og beder Paven om at stadfæste hans Beskikkelse, eller hvis Præbendet er reserveret, da at beskikke ham paany. — Hans Mikkelsen beder om at blive beskikket til Omprovstiet i Sleesvig, der er blevet ledigt ved Bullen execrabilis, der forbyder Domprovsten tillige at have et Sognekald; det havde den tidligere Besidder haft, nemlig Ginding i Ribe Stift; det havde Hans Mikkelsen ogsaa, men han vilde give Aikald paa det, naar han fik Provstiet. — Daniel Nielsen havde faaet et Sognekald i Odense Stift, skjøndt han var Præsteen, da han fik pavelig Dispensation; men Sognekaldet gav ham paa Grund af Krigsuroligheder og stor Dødelighed slet ingen Indtægter, og derfor beder han om Tilladelse til at faa et andet Beneficium.

Supplicat S. V. Petrus Symonis clericus Lundensis diocesis, quatenus sibi gratiam specialem facientes, collationem et provisionem de ecclesia beati Nicolai Lundis, ejusdem diocesis, dudum vacante per obitum Laurentij Vocholt, auctoritate ordinaria sibi factam, quam aliquamdiu possedit, prout adhuc possidet, pacifice et quiete, devolutionibus quibuscumque non obstantibus, dignemini misericorditer confirmare, uel saltem eidem Petro de ipsa ecclesia, sic ut premititur vacante, de novo providere. Cum ceteris non obstantibus et clausulis opportunis.

Supplicat S. V. humilis vester Nicolaus Jacobi prepositus ecclesie Lundensis, quatenus collationem et provisionem eidem Nicolao de canonicatu et prebenda ac prepositura ecclesie Lundensis, que dignitas existit tunc vacantibus per obitum Nicolaj Absolonis, in partibus illis defuncti, auctoritate ordinaria factam, quos aliquamdiu tenuit et possedit, prout adhuc tenet et possidet, pacifice et quiete, re-

seruationibus generalibus uel specialibus aut deuolutionibus quibuscunque non obstantibus, dignemini ex certa scientia confirmare, uel saltem eidem Nicolao de eisdem canonicatu et prebenda ac prepositura, si reseruati fuerint uel eorum collatio ad sedem apostolicam deuoluta existat, de nouo misericorditer prouidere. Non obstante, quod canonicatum et prebendam ecclesie Roskildensis nescitur obtinere. Cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis.

Dignetur S. V. deuoto vestro Johanni Michaelis presbitero studenti in iure canonico de prepositura curata dicta de Wycha in ecclesia Sleswicensi, cujus fructus etc. ualorem xx<sup>li</sup> florenorum aureorum annuatim non excedunt, vacante per constitutionem Execrabilis, ex eo et pro eo, quod Johannes Wichorp ipsam preposituram, una cum ecclesia parochiali etiam curata, de villa Hwyingh Ripensis diocesis, per plures annos de facto tenuit occupatam, misericorditer prouidere, non obstante quod idem Johannes Michaelis in ecclesiis Ripensi et Sleswicensi est canonicus prebendatus et in ecclesia de villa Emberlef Ripensis diocesis altare quoddam beate virginis obtinet, quorum omnium fructus etc., deductis oneribus, ualorem x. florenorum annuatim non excedunt, ac etiam ecclesiam curatam in villa Brunnum, quam scilicet ecclesiam habita quietam possessione illius prepositure dimittere est paratus, et cum alijs non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus, ut in forma.

Significat S. V. deuotus orator vester Daniel Nicolai presbiter Othoniensis diocesis, quod olim cum eo super defectu natalium, quem patitur de presbitero genitus et soluta, ut, huiusmodi defectu non obstante, ad omnes possit ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiamsi curam animarum haberet, fuit auctoritate apostolica dispensatum, virtute cuius dispensationis ecclesiam parochialem fuit assecutus et ad omnes ordines promotus. Verum, pater sanctissime, cum dicta ecclesia totaliter sit destructa propter guerras et mortalitates, ita quod nulli redditus sunt

de quo possit viuere, ne autem in obproprium cleri cogatur mendicare, et paratus sit dimittere eandem ecclesiam, supplicat humiliter, quatenus cum ipso dispensare dignemini, ut aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si curam habeat, valeat obtinere.

Sanctissime pater, dignemini omnes et singulas supra-scriptas supplicationes non cancellatas exaudire et concedere, prout petuntur, nisi alteri uel alijs fuerit jus quesitum, cum clausulis oportunitis et executoribus. Fiat G. Sine alia lectione. Fiat G.

Datum Auinione x. kal. Nouembr. anno nono.

181.

### **Innocents VI.**

31 Dec. 1361.

Kong Valdemar havde anlagt og stiftet Kapeller i sine Fæstninger Vordingborg, Kallundborg, Søborg, Gurre, Korsør og Kjøbenhavn og lagt Indtægter til dem; han beder Paven om at stadfæste disse Fundatser og udbeder sig Tilladelse til at anlægge fire andre paa passende Steder. Fremdeles beder han om, at Paven vil tilstaa dem, der besøge Kapellerne, Afslad paa alle Høitidsdage, samt om at maatte flytte nogle Klostre, der laa Fæstningerne for nær. (Cfr. min Kirkehist. II, S. 152). — Fremdeles beder han om, at Niels Jakobsen (Nr. 175) maatte foruden Domprovstiet i Lund faa et Kanonikat i Roskilde (min Kirkehist. II, S. 149).

Supplicat S. V. humilis et deuotus filius vester Waldemarus Danorum Sclauorumque Rex . . . Quod cum ipse ad laudem et honorem omnipotentis dei et sanctorum ejus ac diuini cultus augmentum certas capellas in castris suis Oringburg, Kalingburg, Syoburg, Gorwe, Korzorn et Kopenhavn uel ante seu prope castra ipsa edificari et fundari fecerit easque omnes perpetuis redditibus decenter et sufficienter dotauerit, quatenus edificationem, fundationem et dotationem capellarum huiusmodi dignemini ex certa scientia confirmare sibi que licenciam concedere, ut quatuor capellas de nouo edificare, fundare et de nouo suis dotare in locis congruis valeat, ut in forma.

Item supplicat eidem S. V., quatinus omnibus et singulis, in singulis domini nostri Jhesu Christi et gloriose virginis sue matris ac singulorum apostolorum et patrono-



rum earundem capellarum ac dedicationum ipsarum festiuitatibus singulas capellas predictas visitantibus et pro statu prospero dicti regis ac regni pie et deuote orantibus vnum annum et vnam quadragenam de indulgentia concedere dignemini, ut in forma.

Item supplicat eidem S. V., quod cum domus fratrum ordinis predicatorum prope castrum Helsingburg, domus fratrum minorum prope castrum Kalingburg, et monasterium sanctimonialium prope castrum Aleburg sint adeo prope ipsa castra ipsorum regis et regni constructa et situata, etiam extra clausuram ditorum castrorum et munitio-  
 tionum, quod ex ipsis domibus et monasterio eisdem regi et regno ac ecclesijs et monasterijs alijs dicti regni magna et grauia pericula atque dampna per hostes et inimicos ipsius regis expugnantes ipsas domos seu loca et inde fortalitia facientes sepius inferuntur, ac maiora et grauiora pericula timentur verisimiliter inferri in futurum, quatenus sibi dignemini concedere, ut ad obuiandum dampnis et periculis huiusmodi domos seu loca predicta ad alia loca congrua et honesta et magis apta et fratribus et personis domorum seu locorum predictorum magis acommoda transferre, ponere seu mutare ac fratribus et personis domorum seu locorum predictorum licentiam concedere, ut ibidem nouas domos seu loca in alijs locis seu terris propriis dictis (sic) regis competentibus per ipsum ad hoc assignandis et donandis ecclesiastice libertati de nouo facere construi, edificari valeant. — Ad expensas dicti regis, ut in forma.

Supplicat S. V. deuotus vester Nicolaus Jacobi, canonicus ecclesie Roskildensis, nuntius dicti regis Dacie ad S. V. per ipsum regem specialiter destinatus, quatinus gratiam specialem facientes sibi de prebenda dicte ecclesie Roskildensis vacante apud sedem apostolicam per promotionem domini Nicolai archiepiscopi Lundensis et per munus consecrationis eidem apud eandem sedem impensum dignemini misericorditer prouidere. Non obstante quod in Lundensi cum prepositura et predicta Roskildensi ecclesijs

canonicatus et prebendas noscitur obtinere, quam prebendam ecclesie Roskildensis paratus est dimittere, dum etc., cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunitis ac executoribus, ut in forma.

Datum Auinione ii kal. Jan. anno decimo.

182.

**Urban V.**

22 Aug. 1363.

Magnus Danmark beder om ved pavelig Provision at faa Kapellet paa Amrum (?).

Item supplicat S. V. humilis orator vester Magnus Danmarch Slesuicentis diocesis in sacerdotio constitutus, qui nullum adhuc extitit ecclesiasticum beneficium assecutus, quatenus eidem specialem gratiam facientes de capella Anruo eiusdem diocesis vacante penes sedem apostolicam iuxta statutum Laterani consilij, cujus redditus, proventus etc. valorem annum in vniuerso xxx florenos auri non excedunt, de eadem dignemini misericorditer prouidere, cum decreto, clausula anteferri et cum clausulis, ut supra.

Fiat pro omnibus et singulis supradictis non cancellatis. B. Sine alia lectione. Fiat B. Datum Auinione vndecimo kal. Septembris anno primo.

183.

**Urban V.**

5 Marts 1364.

Kong Valdemar beder om, at det maatte overdrages Ærkebispem i Lund samt Bisperne i Roskilde og Odense at prøve de Mænds Liv, der havde vandret ustraffelig og ved hvis Grave der skete Mirakler, da Afstanden gjorde det umuligt at bringe det frem for Curien Afskjærelse, Fremdeles beder han om, at Paven vil tage Riget under sin Beskyttelse, samt at han vil stadfæste alle de Privilegier, hans Forgjængere havde skjænket Riget. — Han gaar paany i Forbøn for Niels Jakobsen, »som i Rigets Tjeneste havde haft meget Arbejde og Bekostning«, at han foruden Domprovstiet i Lund og Kanonikatet i Roskilde (Nr. 181) endnu maatte faa et Præbende i Roskilde til, naar det blev ledigt. — Fremdeles beder han om, at de af hans Tjenere, der havde aflagt Løfte om at valfarte til Jerusalem, til Rom eller til St. Jakob, maatte hos deres Skriftefædre faa dette Løfte forandret til en anden gudelig Gjærning — at ingen af hans Undersaatter for kirkelig Forseelse maa stævnes udenfor Rigets Grændser. Han gjentager sine tidligere Begjæringer for sin

Slotskapellan; udbeder sig Tilladelse til at anlægge et Kloster, samt Tilladelse at besætte to Præbender ved hvert af Rigets Domkapitler og beder om at ti Kaniker i hans Tjeneste maatte nyde Indtægterne af deres Beneficier (min Kirkeh. II, S. 154—55).

(Endellg udbeder han sig pavelige Gunstbevisninger for en Mængde Fyrster og Herrer, han stod i venligt Forhold til, Kong Hagen i Norge og Margrethe samt en Mængde tyske Fyrster og Herrer, hvad her ikke er medtaget).

### Rotulus Regis Dacie.

Significat S. V. deuotus et humilis filius vester Waldemarus Danorum, Sclauorum et Gothorum Rex, quod recolende memorie quidam sancti viri de suo regno Dacie oriundi adeo in exemplari et religiosa ac sancta vita in huiusmodi peregrinatione seculi eorum abiectis voluptatibus carnisque illecebris procul pulsus per bonos mores et virtutum placidos actus domino gratum impenderunt famulatum, quod omnipotens deus virtutis sue in eisdem opera manifestas per sancta sua merita in partibus, in quibus corpora eorum requiescunt, et alibi in dicto regno multa miracula operantur. Quare supplicat S. V. idem rex, ut cum regnum predictum a Romana curia sit valde remotum et propter gwerras illarum partium et viarum et maris pericula et graua expensarum onera presertim pro talium prosecutione negotiorum ad ipsam curiam facilis haberi non possit accessus, et cum non deceat eos apud homines sine veneratione relinqui, quos merita ipsorum et miracula sanctos monstrant, quatenus archiepiscopo Lundensi et Roskildensi et Othoniensi episcopis de fratrum vestrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine committere dignemini et mandare, ut ipsi uel duo aut vnus eorum de vita et meritis ipsorum ac eorum miraculis et ceteris circumstantiis vniuersis, que in talibus fuerint attendende, inquirent diligentius veritatem, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis. Fiat B.

Item supplicat, quatenus ipsum et regnum suum et terras sue dicioni subiectas sub beati Petri et vestra ac

sedis apostolice protectione perpetuo recipere dignemini.  
Fiat B.

Item supplicat, quatenus omnia et singula priuilegia, indulgentias et gratias eidem Regi seu suis predecessoribus regibus in regno Dacie per predecessores vestros Romanos pontifices concessa dignemini ex certa scientia auctoritate apostolica confirmare, tenores ipsorum in vestris litteris inseri faciendo, cum executoribus et non obstantibus et clausulis necessarijs. Fiat B.

Item supplicat idem Rex, quatenus Nicolao Jacobi, preposito ecclesie Lundensis, consiliario suo, qui in seruiicio ipsorum regis et regni quamplures sustinuit labores et expensas, specialem gratiam facientes dignitatem, etiam si curam habeat animarum et maior post episcopalem existat, si que in ecclesia Roskildensi vacat ad presens uel cum vacauerit, eidem Nicolao conferendam, non obstantibus reservationibus quibuscunque factis uel faciendis, dignemini collationi apostolice reseruare, ac cum eodem Nicolao, ut dignitatem huiusmodi libere recipere et vna cum prepositura ecclesie Lundensis licite insimul retinere valeat, de vberioris dono gratie dignemini dispensare, non obstante, quod idem Nicolaus in Lundensi prefatam preposituram et Roskildensi ecclesijs predictis canonicatus et prebendas noscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis, et presertim cum fructus et redditus dictorum aliorum beneficiorum suorum sint adeo tenues et exiles, quod ex eis non potest tenere suum statum condecenter. Fiat et dimitte etc. cor . . . in originali. B. et dispensamus etc. B.

Item supplicat, quatenus eidem Regi ac . . . omnium peccatorum suorum remissionem concedere dignemini de gratia speciali. Fiat de sexaginta personis honestis et bone vite. B.

Item supplicat, quatenus omnibus suis fidelibus et seruatoribus, qui de sepulcro dominico ac beatorum Petri et Pauli et Jacobi apostolorum liminibus visitandis seu super

aliis quibuscunque vota emiserunt, concedere dignemini, ut confessores eorum seculares vel religiosi vota huiusmodi illorum, presertim qui vota huiusmodi comode adimplere non possunt, in alia valeant pietatis opera commutare, cum non obstantibus et clausulis ut supra. Fiat in forma. B.

Item supplicat, quatenus sibi et incolis dicti regni concedere dignemini, ut nulla ecclesiastica seu secularis persona regni sui seu terrarum sibi subiectarum propter delictum seu debitum pecuniarium seu alia quacunq; occasione uel causa auctoritate litterarum apostolicarum coram quibuscunque iudicibus delegatis extra regnum seu terras predictas trahi possint, cum non obstantibus et clausulis ac executoribus, ut supra. Fiat ad octo annos in forma. B.

Item significat eidem Sanctitati Rex prefatus, quod ipse dudum de bonis sibi a deo collatis quasdam capellas in vestra cancellaria exprimendas in diuersis locis regni sui construi fecit et etiam edificari et eas in perpetuis et annuis redditibus fundauit pariter et dotauit et melius dotare proponit, quare supplicat S. V., quatenus constructionem, foundationem et dotationem predictas dignemini auctoritate apostolica ex certa scientia confirmare, cum non obstantibus et clausulis ut supra. Fiat in forma. [B.]

Item supplicat idem Rex, quatenus capellas alias, quacunq; voluerit in regno suo, in loco tamen congruo et honesto, edificandi, fundandi et dotandi concedere dignemini facultatem, cum non obstantibus et clausulis, ut supra, ut in forma. Fiat B.

Item supplicat, quod cum ipse monasterium alicujus ordinis approbati de bonis a deo collatis in aliquo loco regni sui ad hoc congruo et honesto construere, fundare et decenter dotare proponat, quatenus sibi construendi, fundandi et dotandi monasterii huiusmodi concedere dignemini facultatem, cum non obstantibus et clausulis, ut supra. Fiat B.

Item supplicat, quatenus omnibus Christi fidelibus, qui capellas, in quibus nonnullae sanctorum reliquie per ipsum

seu predecessores suos reges, Dacie posite fore nascuntur, in cancellaria vestra nominandas seu aliquam ex eis in festiuitatibus et eorum octauis consuetis deuote visitauerint annuatim, vnum annum et vnam quadragenam de iniunctis eis penitentis, dignemini misericorditer relaxare, cum clausulis ut supra. Fiat B.

Item supplicat, quatenus cum in dicto regno sint nonnullae ecclesiae inuicem vnite, quedam uero quarum vna dependet ab altera, quatenus vnam sic vnitam uel dependentem quarumlibet ecclesiarum predictarum, absque preiudicio tamen rectorum earundem, in collegiatam erigere et eas pro seruitoribus earundem fundare et dotare valeat, cum non obstantibus et clausulis, ut supra. Fiat B.

Item supplicat, quatenus dicto Archiepiscopo committere dignemini et mandare, ut in sua metropolitana et singulis aliis cathedralibus ecclesiis dicti regni duabus personis idoneis per dictum regem eidem archiepiscopo nominandis de canonicatibus ecclesiarum earundem provideat, ac prebendas, dignitates, personatus uel officia ecclesiarum ipsarum conferenda personis eisdem auctoritate apostolica donationi suae reseruet, etiam si quelibet dictarum personarum vnum uel duo beneficia ecclesiastica, etiam si vnum eorum dignitas uel personatus aut officium existat et curam habeat animarum, obtineat, cum omnibus non obstantibus et clausulis, ut supra. Fiat de vna B., et nichilominus ad ipsius nominationem paratus sum prouiderè personis idoneis nominandis.

Item supplicat, quatenus sibi concedere dignemini, ut decem sui capellani et clerici fructus, redditus et proventus omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia percipere valeant, ut in forma, cum non obstantibus et clausulis, ut supra. Fiat B.

Datum Aninione tercio Non. Marcij anno secundo.

havde svigtet Ed og Pligt mod Kongen og Riget, og beder om, at Ærkebispnen eller andre Prælater maatte bemyndiges til at belægge dem med kirkelig Censur, samt løse dem af Band, naar de havde gjort Bod. — Fremdeles beder han om Stadfæstelse paa de den danske Kirke givne Privilegier, taler om de Relikvier, Paven havde skjænket, og beder om, at der maa gives dem Aflad, der med fromt Sind besøge dem.

### Pro Rege Dagie.

Supplicat S. V. devotus et humilis vester filius Waldemarum Danorum, Sclavorum et Gothorum Rex, quatenus archiepiscopo Lundensi uel alteri prelato in regno suo per regem nominando committere dignemini, ut contra omnes et singulos, qui dictis regi et regno infideles et periuri hucusque fuerint uel dictis regi et regno aliquam iniuriam uel offensam intulerint, procedet per censuram ecclesiasticam et eos auctoritate apostolica, omni appellatione remota, puniat. — Dentur iudices et commissarii extra regnum cum potestate in forma. [B.]

Item supplicat, quatenus dicto archiepiscopo uel alteri prelato per regem nominando committere dignemini, vt cum ipsi infideles et periuri ac ceteri ipsis regi et regno obnoxii eisdem regi et regno pro iniuriis et dampnis satisfecerint, ad requisicionem ipsius regis et non alias absoluant per eosdem. — Committatur absolutio cum clausula satisfactionis etc. B.

Item supplicat, quatenus sibi concedere dignemini, ut episcopi et prelati ecclesiarum et monasteria sui regni omnibus iuribus, libertatibus et privilegiis ac gratis libere uti ualeant, prout usi fuerunt ab antiquo, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis. Fiat confirmacio in forma. B.

Item supplicat, quatenus omnibus et singulis, qui reliquias sanctorum, videlicet crines et vestes beate Marie virginis, reliquias de sancto Johanne Baptista, de sancta cruce, de sancto Georgio, de sancto Vincencio, de sanctis Nereo et Achillo (sic), sibi per S. V. datas deuote visitaerint et pro statu regis et regni pie deum orauerint, tres annos et tres quadragenas de indulgentia concedere dignemini gratiose. — Fiat de duobus et duabus xl. B.

Item, quatenus sibi et omnibus et singulis familiaribus suis, qui agnum dei per S. V. datum ob reuerentiam sedis apostolice portauerint, tres annos et tres quadragenas de indulgencia concedere dignemini. — Habeant vii annos et vii quadragenas. B.

Item supplicat, quatenus dicto archiepiscopo committere dignemini, ut in sua metropolitana et singulis aliis cathedralibus ecclesiis dicti regni duabus personis idoneis per dictum regem eidem archiepiscopo nominandis de canonicatibus sub expectatione prebendarum ecclesiarum earundem prouideat auctoritate apostolica, etiam si quelibet dictarum personarum vnum, duo uel plura beneficia ecclesiastica obtineant, cum non obstantibus et clausulis opportunis. Fiat de vna. B. Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Auinione Non. Marcij anno secundo.

185.

**Urban V.**

Pavens Svar.

7 Marts 1364.

Argumenta in indice.

Waldemaro Regi Dacie conceditur, ut personis deuotis pro ipso rege ad deum supplicantibus per dominum nostrum papam certe indulgentie largiantur. — Auinione Non. Martij ann. II.

Eidem conceditur, ut in omnibus cathedralibus ecclesiis regni sui pro personis per eum nominandis singulos canonicatus et prebendas per iudices assignare et prouidere possit et debeat. (Adr. til dilectis filiis omn. sanctorum Lunden. Soren. Esromen. abbatibus. — S. D.

Idem Rex cum regno suo sub beati Petri et domini pape protectione recipitur. — Auinione 7 id. Mart. [an.] II. (9 Marts 1364. Trykt, se Regesta).

Vniuersis archiepiscopis et episcopis ac clericis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis etc. in dicto regno constitutis priuilegia eis concessa confirmantur. Non. Mart. an. 2.



Caminensi, Lincopiensi ac Lubicensi episcopis conceditur facultas absoluendi omnes et singulos dampnorum, iniuriarum et offensarum illatores ac fidelitatis iuramenti fractores et violatores contra et aduersus dominum regem, primitus dicto regi debita satisfactione impensa. (Efter Kongens Bøn). — Non. Mart. ann. II.

Episcopis predictis mandatur, ut nonnullas personas ciuitatum et diocesum et aliorum partium diuersarum infra et extra regnum Dacie consistentes ad fidelitatis debite iuramentum et ad fidelitatis omagium et seruicia et iura et alia ab eis dicto regi debita compelli possint et valeant. Non. Mart. an. II.

Episcopis prenominitis mandatur ad instanciam predicti regis, quatenus contra nonnullas personas diuersarum ciuitatum in regno predicto consistentes fidelitatem dicto regi debitam ab eis faciant inuiolabiliter obseruari. Auinione Non. Mart. ann. II.

(Se Regest. under Dato 9 Martii?)

(Herpaa følger en lang Række af Begjæringer og Bevillinger fra 9 Marts til 15 Mai 1364, for Kongens Følge, hans familiæres, som her ikke er medtaget. De adelige Herrer faa de sædvanlige Gunstbevisninger, Absolution in articulo mortis, Tilladelse til at lade læse Messe under Interdikt, samt til at føre med sig et flytteligt Alter. Men foruden dem nævnes der en stor Mængde tyske Klerke enten af Herrernes Slægtninge eller i deres Tjeneste, for hvem der søges kirkelige Beneficier, men da disse altid søges i Tydskland, som i Sverin, Dorpat, Colberg, Lybek, Hildesheim og mange andre Steder — sjælden i Lund eller Roskilde — saa ere de alle her forbigaaede).

186.

**Urban V.**

25 Juli 1365.

Nicolaus Petersen, Kanik i Kjøbenhavn, der som Præsten havde pavelig Dispensation, faar Tilladelse til at forene et andet Præbende med det Kanonikat, han har.

Supplicat S. V. deuotus vester Nicolaus Petri canonicus ecclesie Hafnensis, Roskildensis diocesis, familiaris deuoti filii vestri Waldemari regis Dacie, cum quo alias, non obstante defectu natalium, quem patitur de presbitero genitus et

soluta, vt eo non obstante defectu posset ad omnes ordines promoueri et ecclesiasticum beneficium obtinere valeret, fuit auctoritate apostolica dispensatum, cuius dispensationis vigore canonicatum et prebendam ecclesie collegiate Hafnensis dicte Roskildensis diocesis fuit canonicè assecutus, cuius redditus et prouentus xv. florenorum auri valorem annum non excedunt, vna cum isto obtinere et licite retinere valeat et hec duo semel cum aliis permutare, de vberiori dono gratie misericorditer dispensare, ut in forma. Placet, quod possit habere duo beneficia compatible, facta examinatione de sufficiencia per abbatem Montismaioris. B. Sine alia lectione. Fiat B. Datum Auinione octauo kal. Augusti anno tercio.

187.

**Urban V.**

12 Aug. 1365.

Nogle Klosterjomfruer i Dalum og en adelig Familie faar pavelige Gunstbevisninger.

Supplicat S. V. deuote vestre Gewardis priorissa, Thora Ewesdoter, Margareta filia Nicolai, et Abela filia Laurentij, sanctimonialis monasterij ordinis sancti Benedicti in Dalym, domina Margareta filia Jacobi, et Elena filia Asceri, Othoniensis diocesis, quatenus eis et cuilibet earum concedere dignemini plenam remissionem suorum peccatorum in mortis articulo, ut in forma. Fiat recepta informatione de eius conuersatione. B.

Datum Auinione pridie Idus Augusti anno tertio.

Supplicat S. V. deuotus vester Luderus Limbech, miles de regno Dacie, quatenus ipse et Aleka vxor eius possint habere altare portatile, in quo missam possint tempore interdicti, cuius occasionem non dederint, facere celebrari, ut in forma. Fiat ad sex annos. B. Sine alia lectione. — Fiat B. Datum Auinione pridie Idus Augusti anno tertio.

188.

**Urban V.**

29 Sept. 1365.

Biskop Johan af Børglum, der var bleven valgt til Biskop i Ribe, erklærer sig villig til efter Kongens Ønske at nøles med Børglum. (Min Kirkehist. II, S. 157).

Urbanus episcopus, seruus seruorum dei, carissimo in Christo filio Woldemaro, Regi Dacie Illustri, salutem etc. Ad serenitatis tue noticiam deducimus per presentes, quod venerabilis frater noster Johannes episcopus Burglanensis, dudum antequam eundem ad ipsam ecclesiam Burglanensem promouissemus, iuri, quod sibi in ecclesia Ripensi vigore electionis de ipso facte, ut asseruit, quomodolibet competeat, in nostra et venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium presentia sponte cesserit, uolens tue celsitudinis contemplatione de dicta Burglanensi ecclesia licet modica contentari, quare celsitudinem regiam rogamus affectuosius, quatenus eundem episcopum habeas fauorabiliter commendatum. Datum Auinione iii kal. Octobr. anno tercio.

189.

**Urban V.**

22 Nov. 1365.

Biskoppen i Odense vilde Kongen paa Grund af Mistænke have forflyttet ud af Riget, men det kunde Paven ikke føje ham i, fordi der endnu ikke var Lejlighed til nogen passende Forflyttelse; men naar en saadan viste sig, vilde han opfylde Kongens Ønske. Iøvrigt anbefalede Paven sine Indsamlere og deres Hjælpere til Kongens Bevaagenhed. (Min Kirkehist. II, S. 158).

Urbanus episcopus, seruus seruorum dei, carissimo in Christo filio Woldemaro Regi Dacie salutem etc. Regias litteras nuper gratanter recepimus, per quas nos instanter rogasti, ut venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Othoniensem, ex certis rationabilibus causis tue serenitati suspectum, transferre ad aliam ecclesiam extra regnum tuum existentem, ad euitanda tua pericula et scandala et detrimenta eiusdem ecclesie dignaremur, verum quia nondum casus euenit congrue translationis episcopi memorati, uotum tuum in hac parte non potuimus adimplere, intendimus tamen, cum tempus possibilitatis affuerit, tibi in hiis et aliis, que iuste poterimus, complacere. Ceterum quia, prout nouit tua serenitas, in regno tuo habemus collectores, succollectores et officiales alios negotia camere nostre gerentes, dictam serenitatem rogamus attente, quatenus eosdem

collectores, succollectores et officiales habens propensius commendatos, eis de securo conductu, cum necesse fuerit et a te petierint, pro nostra et apostolice sedis reuerencia uelis libere prouidere et facere prouideri, eis in eisdem negotiis regiis auxilijs et fauoribus assistendo. Datum Auinione x. Kal. Decembr. anno quarto.

190.

**Urban V.**

26 Mai 1366.

Biskop Henrik af Roskilde beder paa Grund af Alderdom om Til-ladelse til at antage en Præst til sin Medhjælper.

Significatur S.V. ex parte deuoti oratoris vestri Henrici episcopi Roschildensis, quod ipse propter senium et infirmitates sibi incumbentes diocesem suam nequit personaliter visitare, nec ecclesias, cimeteria et alia loca sacra violata reconciliare, verum, pater sanctissime, cum non sint aliqui episcopi in dicta diosesi nec in alijs locis circumuicinis, qui ualeant suffragari, supplicatur igitur S V. ex parte dicti episcopi, quatenus sibi dignemini licenciam impertiri, quod possit alicui ydoneo presbitero peragenda committere, qui cum aqua per ipsum benedicta possit violatas ecclesias, cimeteria et alia loca predicta reconciliare, ut in forma. — Fiat ad triennium. B. Sine alia lectione. — Fiat B. Datum Auinione septimo Kal. Junij anno quarto.

191.

**Urban V.**

17 Sept. 1367.

En adelig Enkefrue i Odense Stift faar pavelig Bevilling paa fuld Aflad in articulo mortis.

Urbanus etc. dilecte in Christo filie Helene, Asceri relicte, quondam Nicolai Greumarj domicelli vidue, Othoniensis diocesis, salutem etc. Prouenit ex tue deuocionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam reuereris, ut petitiones tuas, illas presertim, que anime tue salutem respiciunt, ad exaudicionis gratiam admittimus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum, de quibus corde

contrita et ore confessa fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et deuocione nostra uel successorum nostrum Romanorum pontificium canonice intrancium persistenti auctoritate apostolica concedere ualeat, deuocioni tue tenore presencium indulgemus. Sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfaccio impendenda, eam tibi per te, si superuixeris, uel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu uel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddaris procliuior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidencia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres quoad illa, predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Viterbij xv. Kal. Oct. pontificatus nostri anno V<sup>to</sup>.

Ligelydende Breve af 22 Aug. 1367 for en adelig Herre Christofer og Hustru Helene af Roskilde Stift; for Willikin Frethe og Hustru Marine af Odense Stift; for Ridder Christian Kule og Hustru Ermegard, og for Ridder Everard Moltike og Hustru Christine, begge af samme Stift.

192.

**Gregor XI.**

9 Aug. 1375.

Kongen klager over, at mange af hans Undersaatter have brudt deres Troskabsed, hvorfor Paven overdrager det til Ærkebispem i Lund, Bisperne i Roskilde og Odense at undersøge Sagen. (Min Kirkehist. II, S. 165).

Gregorius etc. Uenerabilibus fratribus .. Archiepiscopo Lundensi .. Roskildensi ac .. Othoniensi episcopis salutem etc. Justis petentium desideriis libenter annuimus eaque fauore prosequimur oportuno. Sane nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Valdemari, Regis Dacie illustris, nobis fuit expositum cum querela, quod nonnullae persone ciuitatum et diocesium diuersarum in regno suo Dacie con-

sistentes fidelitatem dicto regi ab eis debitam frangere et super hoc et aliis per ipsos dicto regi prestita juramenta temere uiolare et nonnullas alias iniurias et offensas predicto regi irrogare indebite presumpserunt haenus et presumunt in animarum suarum periculum, dicti regis preiudicium et scandalum plurimorum. Quare pro parte dicti regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos uel duo etc. vocatis etc. et auditis etc., quod iustum fuerit simpliciter et de plano etc. decernatis, facientes quod decreueritis etc. obseruari. Testes autem etc., non obstantibus etc. Datum apud Villamnouam Auinionensis diocesis v. Id. Augusti pontificatus nostri anno quinto.

193.

**Gregor XI.**

2 Sept. 1375

Paven paalægger Ærkebispnen og samtlige Biskopper at vaage over Søndagshvilen, at Folk gik i Kirke, som de er pligtig til.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei venerabilibus fratribus . . . archiepiscopo Lundensi et eius suffraganeis salutem etc. Nuper ad nostrum peruenit auditum, quod in regno Dacie malus inoleuit abusus, quod gentes dicti regni etiam ecclesie diebus dominicis et festiuis nundinas atque fora tenent et ad ecclesias, prout tenentur, attendere non curant, sed per vicos et plateas discurrere, periuria et alia enormia committendo, non verentur, propter que diuinus cultus minuitur et bonis gentibus malum exemplum datur. Cum igitur talia nullatenus debeant tolerari, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vestrum singuli huiusmodi abusum de vestris ciuitatibus et diocesisibus auctoritate apostolica penitus extirpetis ac gentes ipsas ad frequentandum ecclesias, prout tenentur, monitione premissa per censuram ecclesiasticam, prout canonicum fuerit, appellatione remota, compellatis, et, si qui in pre-

missis contradictores fuerint, eos auctoritate nostra, simili appellatione cessante, compescatis, non obstante si ipsis uel quibusuis aliis communiter uel diuisim a sede apostolica indultum existat, quod interdicti, suspendi uel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Villamnouam Auinionensis diocesis iiii Non. Septembris anno quinto.

Ogsaa i Gregor. XI. de indult. et priuileg. an. v. fol. 298 Nr. 1037.

194.

**Gregor XI.**

10 Nov. 1375.

Ridder Henning Podebusk af Roskilde Stift faar Beuilling paa, for sig og sine at maatte lade holde Gudstjeneste under Interdikt.

Gregorius etc. dilecto filio nobili viro Henningho de Podbuzke militi seniori, Roskildensis diocesis, salutem etc. Deuocionis tue sinceritas promeretur, ut votis tuis in hiis presertim, que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum cum deo possumus, fauorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contigerit declinare, liceat in illis clausis januis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis et summissa voce tibi eciam in familiarium tuorum domesticorum presencia missam et alia diuina officia facere celebrari, dummodo tu uel illi causam non dederitis interdicto nec id tibi uel illis contigerit specialiter interdicti, presentibus post decennium minime valituris. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Auinione iiii Idus Nouembr. pontificatus nostri anno quinto.

195.

**Gregor XI.**

10 Sept. 1377.

Olaf og Margrethe faa Tilladelse til at flytte Kong Valdemars Lig, der var hensat i Vordingborg Slotskirke, og Dronning Helvigs, der var hensat i Esrom, til Sorø Kloster.

Gregorius etc. carissimo in Christo filio, Olauo Regi Dacie, et carissime in Christo filie, Margarete Regine Norwegie illustribus salutem etc. Exigit uestre deuotionis integritas, quam ad nos et Romanam ecclesiam geritis, ut ad ea solite benignitatis extendamus affectum, que ex causa deuotionis placere nouimus votis uestris. Cum itaque, sicut exhibita nobis pro parte uestre serenitatis petitio continebat, clare memorie Waldimari regis Dacie, tui, filii rex, aui et tui, filia regina, genitoris, apud capellam in castro Wordingborgh Roskildensis diocesis sitam, et Heylewigis regine Dacie, tue, filii rex, auie et tue, filia regina, matris, apud monasterium Esrom Cisterciensis ordinis, dicte diocesis, corpora, ut uiuentes mandauerant et elegerant, fuerint et sint sepulta, et ob temporis malignitatem in dicta capella cultus diuinus minuatur nimis et decrescat, monasterium uero predictum ruinas minetur satis graues, et propterea predicta corpora seu ossa eorundem regis et regine inde exhumare et ad monasterium apud Soram ordinis et diocesis predictorum, quodquidem monasterium presencialiter celeberrimum est, et in eo semper deo in officio et aliis deuote et solempniter deseruitur et cultus diuinus continue augetur, transferre et inibi in monumentis seu sepulturis clare memorie regum et reginarum Dacie uestrorum et ipsorum regis et regine progenitorum, quorum corpora seu ossa in eodem monasterio apud Soram seu in ipsius monasterii ecclesia sunt sepulta, deponere cum solempnitate debita cupiatis, Nos votis uestris in hac parte benigno concurrentes assensu, celsitudini uestre faciendi predicta, alterius consensu minime requisito, quibuscunque constitutionibus et priuilegiis apostolicis ac consuetudinibus nec non predictorum regis et regine uoluntatibus ultimis seu testamentis, que alias in suo robore remanere uolumus, contrariis nequaquam obstantibus, tenore presentium de speciali gratia licentiam elargimur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Anagnie iiii Idus Septembris pontificatus nostri anno septimo.



196.

**Urban VI.**

10 Febr. 1386.

Om en pavelig Udskrivning af Tiendedelen af alle kirkelige Indkomster i Riget for tre Aar, hvortil Biskop Johan af Slesvig var beskikket som Collector.

I et Brev af 1 Marts 1399 udnævnes Biskop Peter i Roskilde til Collector. (Formlen findes i Dipl. Norv. VI, 384. 996).

Urbanus etc. venerabili fratri Johanni episcopo Sleswicensi, fructuum et prouentuum camere apostolice debitorum in nonnullis partibus collectori, salutem etc. Nouit ille scrutator almus cordium etc. Cum igitur eam ob rem decimam omnium reddituum et prouentuum ecclesiasticorum in omnibus et singulis ciuitatibus et diocesibus regni Dacie consistentium per tres annos a Kalen. Martij proxime venturi inchoandis et continue subsequentes in subscriptis terminis et singulis annis dictorum trium annorum a te ipso nec non ab omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis ceterisque prelatiis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis etc. Datum Janue iiii Idus Febr. pontificatus nostri anno viii°.

197.

**Bonifacius IX.**

30 Nov. 1390.

7 Marts 1391.

I disse tvende Breve beskikkes to danske Præster til Pavens Kapellaner, og i et ligelydende Brev af 26 Jan. 1391 fik en Graabroder, Johannes Rotschild, samme Værdighed.

Bonifacius etc. dilecto filio magistro Benedicto Nicolai presbitero Ottoniensis diocesis, capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarens etc. (Formelen ganske som for Matth. Laurentij af 7 Marts 1391). Datum Rome apud Sanctum Petrum ii Kal. Decbr. pontificatus nostri anno secundo.

Bonifacius episcopus, seruus seruorum dei, dilecto filio magistro Matheo Laurentij, canonico Roskildensi, capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarens et meritis, sicut fame laudabilis testimonio commendaris, illam in nostro et apostolice sedis conspectu gratiam meruisti, quod personam

tuam paterna beneuolencia prosequamur et eam libenter atollamus honoris gratia specialis. Vt igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te in nostrum et dicte sedis capellanum gratiose recipimus ac nostrorum et ipsius sedis capellanorum consortio fauorabiliter aggregamus, libique nichilominus concedentes, quod indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus et priuilegiis per felicis recordationis Johannem xxii et Clementem vi, Romanos pontifices, predecessores nostros, capellanis dicte sedis concessis uti et gaudere libere et licite ualeas, pie memorie Innocentij VI, Gregorij XI et Urbani VI, Romanorum pontificum, predecessorum nostrorum, restrictionibus super indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus et priuilegiis supradictis nec non alijs in contrarium editis non obstantibus quibuscunque, intendentes, quod per hoc fauoris apostolici presidia plenius sortiaris. Sic igitur de bono in melius studiis uirtutum intendas, quod merito ad faciendum tibi plenior gratiam inuitemur. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum non. Martii, pontificatus nostri anno secundo.

26 Jan. 1391.

Bonifacius etc. dilecto filio Johanni dicto Rotschylt, ordinis fratrum minorum professori, capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarens (o. s. v. ligelydende). Datum Rome apud sanctum Petrum vii Kal. Febr. anno ii.

[Anno 1409.] Die duodecima mensis Maij secunda indicatione reuerendus in Christo pater dominus Petrus, dei gratia electus ecclesie Ripensis, per venerabiles viros dominum Nicolaum Johannis, rectorem ecclesie Thoreby, et fratrem Jonam, lectorem Helsimburgensem, procuratores legitimos suos ad hoc, promisit camere et collegio pro communi seruitio florenos centum viginti de camera et quoque minuta seruitia consueta.

(Not. quod denarios istos habuit dominus Paulus de inuentario.)

Anno 1420. Die xxvj martij Reuerendus pater dominus Johannes episcopus Lubicensis, collector in regnis Dacie Swecie et Norwegie se iurauit officium fideliter exercere in forma.